

ter alio modo constitui non potest, quām
per potentiae illius destructionem, id quod e-
vinci posse a junt ex ipsa potentiae passivae
proximae natura. Ad hanc enim duo requi-
runtur, (1.) absentia formae in eam introdu-
cendae. (2.) aptitudo ad illam recipiendam &
quidem talis, quae nullā amplius indiget ma-
teriae dispositione. Jām quando quantitas
illa, ad quam concipiendum materia proximam
potentiam habebat, actu in materiam
introducitur, & substantia materialis in esse
suo constituitur; eo ipso cessat potentia pro-
xima in materiā; ratio est: quia prius requisi-
tum ejus per introductionem Quantitatis e-
vanescit. Quāndiu autem potentia proxi-
ma materiae manet salva, & per introduc-
tionem Quantitatis non destruitur, tamdiu eti-
am substantia materialis produci non potest,
multò minùs constitui in esse individuali.
Nam omnis substantia materialis suam cer-
tam Quantitatem habet; absente itaque illa,
& in materiam, proxime ad eam dispositam,

OLP E

non-